

A 1090  
VI.

No. 98.

SZABO KÁROLY III/2055

Biblioteca Fil. Cluj a Academiei R.P.R.

Cota: RMK(r) 70f.

285

DISPUTATIONUM  
JURIDICARVM  
XCV. & XCVI.

*Desumptæ*

Ex Titulis XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII.

XLIV. De Hereditate vel a<sup>t</sup>ione vendita: Quæ  
res vendi non possunt: Quæ res exportari non  
debeant: de Eunuchis: de Patribus qui  
fil. distrax. de rescind. vend.

Lib. IV. Cod. Justin.

QUAS

DE *Proprietate*,

SUB PRÆSIDIO

D. JOHANNIS JACOBI  
WISSENBACH,

J.U.D. ejusdemque Facultatis in Celeberrima Frisio-  
rum Academia Professoris Primarii, Fautoris  
& Præceptoris sui ætatèm venerandi,

Publicè ventilandas proponit

CASPAR ENYEDI, Transylvano-Ungarus.



FRANEKERÆ,

Ex Officina JOHANNIS WELLENS, Illustrium Frisiae  
Ordinum & eorundem Acad. Typog. Ordinarii.

ANNO M DC LIX.

*Tölgyesi c  
Uzunma*

286  
*Amplissimo, ac Clarissimo  
Viro Domino,*

S A M U E L I E N Y E D I,  
Medicinæ Doctori experien-  
tissimo, Literatori eximio, &  
in illustri Varadiensium Athe-  
næo Philosophiæ Professori:  
ibidémque p.t. Rectori, Domi-  
no, ac Fratri, Studiorumve suo-  
rum Fautori maximo: Promo-  
tori Summo, in gratissimè men-  
tis memoriam, & testificatio-  
nem, summâ cum observantia,  
& animi subjectione, se, & quic-  
quid est sui, præsentibus com-  
mendatum it:

C A S P A R E N Y E D I.



DISPUTATIONUM  
JURIDICARUM  
XCV. & XCVI.

*Defumptæ*

*Ex Titulis XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. De  
Hereditate vel actione vendita: Quæ res vendi non possunt: Quæ  
res exportari non debeant: de Eunachis: de Patribus qui fil.  
distrax. de rescind. vend. Lib. IV. Cod. Justin.*

L. IV.

**D**olō emptoris elicita venditio, non valet, *b. l.* cuius hæc est species: Heres, cùm de quantitate hereditatis sibi delatæ nondum esset certus, eam minimo vendidit, deceptus ab emptore, qui heredi persuaserat, exiguum esse hereditatem; ostensò ei forsan insidioso per exiguae quantitatis inventariô: ut solent *ποικιλομήται* isti, factores fandi, fraudatoresque Ulyslei. Rescribunt Imperatores, heredem actione empti non compelli res venditas tradere, vel actiones mandare: quin ipsum suo jure eas res persequi posse. Quod argumento est, venditionem hanc non valere: alioquin emptor suo nomine adversus debitores hereditarios haberet actiones utiles. *l. seq. b. t.* Obstat videntur *l. si quis affirmavit. 9. pr. D. de dol. mal. l. Julianus. 13. §. per contrarium.* *s. D. de act. empt.* ubi Ulpianus docet, heredi venditori competere actionem ex vendito: non potest autem esse actio ex vendito, nisi venditio valeat. Respondi exercitat. *ad d. tit. D. de dol. mal.* adhibita distinctione inter dolum, qui causam dedit venditioni, & dolum qui in venditionem incidit. Aliter distinguit

CCCCC

Do-

## 754 LIB. IV. TIT. XXXIX.

Donellus; valere hanc venditionem, si venditor velit,  
*d. l. 9. d. l. 13.* non valere, si nolit, *b. n. l. 4.* Adver-  
 sari adhuc videtur *l. quisquis. 15.* *C. de resc. vend.* ubi  
 dicitur, venditionem non infirmari, etiam si venditor  
 fuerit incertus de quantitate rei venditæ. Resp. In-  
 specie *b. n. l. 4.* non solà ignorantia in captionem inci-  
 dit heres, sed & ab emptore fuit deceptus.

## L. V.

Venditâ hereditate, emptori non modò directæ  
 actiones competunt adversus debitores hereditarios,  
 verum etiam utiles. *Directis sive mandatis* utitur nomi-  
 ne heredis venditoris, ejusque personâ fungitur. *Vili-  
 bus* agit suo nomine, *h. l.* Quæritur, An cessionarius,  
 cui cessa, mandata, vendita est actio, gaudeat privile-  
 giò cedentis? Resp. Privilegium vel rei cohæret, vel  
 personæ. Si cessionarius directâ actione utatur nomine  
 mandantis, seu cedentis, gaudet privilegiò rei conjun-  
 ctio: sin utili ex sua persona utatur, non gaudet: quo-  
 modo accipienda *b. n. l.* Sed sive directa, sive utili ex-  
 periatur, Privilegio personali cedentis non gaudet. tex-  
 tus express. *in l. ex pluribus. 42.* *D. de administrat. tut.*  
 ubi Papinianus negat, Privilegium exigendi ante alios,  
 quod pupillus habet, & personale est, in cessionarium  
 transire. Actor ibi egit directâ actione, quippe pro-  
 curator fuit datus in rem suam, nec tamen gaudet pri-  
 vilegio pupilli. *Diss. Don. b. n. 7.* & seqq. & *ad l. 1.* *C. de  
 O. & A. n. 49.* & *15. comm. 43.* *Bald. in l. 1.* *C. de pri-  
 vil. dot. n. 4.* *Mev. 3. adjus Lubecc. 1.* *§. 9. n. 14.* qui au-  
 tumant, cessionarium, si directâ actione experiatur no-  
 mine cedentis, ejus quoque Privilegio personali gaude-  
 re,

re, arg. b. n. l. s. l. alia. 14. D. sol. matrim. Verum ad l. 5. jam responsum est. Nec quicquam ad rem facit l. 14. loquitur enim de defensore rei alienæ: non de procuratore in rem suam. privilegium mariti, ne damnetur ultra quam facere potest (quod privilegium personale est, l. 13. eod.) datur etiam defensori mariti, quoniam per omnia sustinet personam mariti. Sed nec obest nobis l. *Herennius*. 43. D. de usur. in cuius fine negationem deesse, legendumque, petere non posse, jam pridem ex Basilicis Cujacius ostendit 26. obs. 25. Quanquam non desunt, qui retentâ vulgatâ lectione, id specialiter in fisci causa constitutum respondent. Species hæc est: Fiscus successit Titio, in cuius hereditate repertum est nomen, quod Mævius Titio debebat sine usuris. A quo tempore autem Fiscus successit Titio, fisco usurædeberi cœperunt, ex privilegio, l. 17. §. *fiscus*. s. d. t. de usur. Tum fiscus actionem, quam adversus Mævium habebat, cessit Sempronio. Quæritur, an Sempronius usuras ejus temporis, quo Mævius fuit fisci debitor, petere doslit? Affirmat Modestinus d. l. 43. Barbos. ad l. 41. n. 62. d. t. sol. matr. Merill. 3. variant. ex Cuj. 33. Dixi, emptorem hereditatis suo nomine uti actionibus utilibus personalibus adversus debtores hereditarios. b. l. Adde, uti eum etiam actione in rem utili contra possessores rerum hereditiarum, l. ult. b. t. Non obstat, quod emptor non sit dominus rerum hereditiarum: nam utilis in rem actio etiam datur non domino, ut alibi probatum.

## L. VI.

Qui vendidit hereditatem, ante traditionem rerum  
CCCC 2 here-

hereditariarum, manet earum dominus, ideoque eas vendere, & traditione accipientis facere potest. Sed quia contractus fidem frangit, idcirco actione empti id quod emptoris interest, praestare compellitur, b.l. Prior emptor non habet actionem in rem utilem adversus posteriorem emptorem, cui res hereditar. sunt traditæ, arg. b.l. ubi Donellus. Perspicue igitur probat constitutio b.l. Venditorem non cogi præcisè, ut rem venditam tradat, sed liberare se posse præstando id quod interest. Quo de alibi. Usu verò & moribus hæc distinctione est recepta, rei tradendæ facultatem habeat venditor, nec ne.

## L. Ult.

Is cui actio personalis est vendita, utili actione in personam adversus debitorem experiri potest suo nomine, sine cessione, l. postquam. 7. b. t. l. 16. D. de pact. l. ult. C. Quand. fisc. vel priv. Quæritur, an etiam is, qui emit actionem in rem, utili actione in rem cum possessore rei agere possit suo nomine, sine alia cessione? Aff. b. n. l. Vendita actio, cessionario utilis actio queritur ipso jure, d. l. 16. Actio autem in rem, est actio. Quomodo ratiocinatur Justinianus in hac sua constitutione. Opp. Actio in rem datur soli rei domino, l. in rem actio. 23. pr. D. de R. V. §. 1. Inst. de act. Emptor autem actionis in rem, non est dominus rei. l. quid tibi. 6. b.t. Resp. Directa in rem actio soli domino competit: utilis verò in rem actio legis potestate & sanctione Imperatoris etiam datur non-domino, b.l.l. 1. C. de donat. que sub mod: An autem emptori dabitur, hæc actio etiam adversus dominum rei? Dabitur, l. procuratore. 55. D. de

*De Hereditate vel actione vendita.* 757

*de procurat.* Don. h. n. 5. Diss. Accurs. b. & in l. empior. s. b. t. Cæterum, vendi, cedique possunt omnes actio-nes, quæ non prohibentur. Quænam autem cessionem non admittant, consulendi Andr. Tiraquellus *de re-tract. lignagier*, §. 26. gloss. 1. n. 45. & multis seqq. Sandius tract. de act. cess. c. 5. per tot. De duabus actionibus hic controverti video, de actione injuriarum, & actione hypothecaria. Injuriarum actionem cedi non posse, sentio cum Johanne antiquo glossatore, arg. l. 13. l. 28. D. de injur. l. pñnales. 32. D. de L. Falc. Tiraquell. d. glos. 1. n. 50. Sand. d. c. 5. n. 11. Diss. Accurs. Sichard. Don. b. Actionem autem hypothecariam vendi posse utiliter, statuo cum Cyno, Saliceto, Donello, b. arg. l. un. C. Si pign. pign. dat. sit. l. grege. 13. §. 2. D. de pignor. Diss. Accurs. hoc argumento : Sublato principali, tollitur accessorium. Debitore autem pecuniam solvente credi-tori, tollitur actio principalis, Ergo & accessoria, scil. hypothecaria, quam creditor alii vendiderat: cuius ita-que nulla ad cessionarium redundat utilitas. Respondet Don. h. n. 21. & seqq.

*Quæ res vendi non possunt, & quæ vendere  
vel emere vetantur.*

**P**RIVATI PURPURAM TINGERE & VENDERE PROHIBENTUR SUB INTERMINATIONE PUBLICATIONIS BONORUM & POENÆ CAPITALIS, *l. 1. b. t.* QUOD IDEO PLACUIT, NE SI OMNIBUS PROMISCUÈ HOC LICERET, USUS PURPURÆ VILESCERET. NERONEM ETIAM SUETONIUS *c. 32.* SCRIBIT, INTERDIXISSE USUM AMETHYSTINI AC TYRII COLORIS, I. PURPURÆ, & MATRONAM VETITÂ PURPURÂ CULTAM, NON TANTUM VESTE, SED & BONIS EXUISSE. HIS, INQUAM, ILLICITIS EMISSIONIBUS CONTRAHITUR CRIMEN EXTRAORDINARIUM, SI PRIVATUS PURPURAM VENDAT, *d. l. 1.* SI SERICUM EMAT À BARBARIS, SEU PERSIS, SINE COMITE COMMERCIORUM, *l. 2. b. t.* SI FRUMENTA PUBLICI CANONIS, (I. E. TRIBUTUM FRUMENTARIUM ROMANIS À PROVINCIALIBUS DEPENDI SOLITUM. *vid. Rosin. de antiquit. Rom. lib. 10. c. 22.*) AUT COMMEATUM MILITAREM QUIS AMAT VENDATVE, *l. 3. & 4. b. t.* QUIBUS CASIBUS POENA CAPITALIS INFILGITUR, *dd. ll.* À LEONE MUTARA IN POENAM QUADRUPLI. *nov. 62.* ET PURPURA QUIDEM OMNINO EXIMITUR COMMERCIO PRIVATORUM, ADEO UT NEC VESTES PURPURÂ PRÆTEXTAS EIS HABERE LICEAT, SEU PURPUREA SEGMENTA AUT INSTITAS, *d. l. 1. l. pen. C. de vestib. holov.* QUAS TAMEN PERMITTIT RURSUM LEO IMP. *nov. 80.* SERICUM NON OMNINO EXIMITUR HOMINUM PRIVATORUM COMMERCIO, AC LICET VIRIS SUBSERICAS, MATRONIS ETIAM HOLOSERICAS VESTES GESTARE: STATUITUR TAMEN MODUS COMMERCII, UT NE ROMANI ATQUE BARBARI ULTRA FINES LEGE DEFINITOS INTER SE NEGOTIENTUR

*Quæ res exportari non debeant.*

759

cur sine comite commerciorum, d. l. 2. b. t. l. 4. & ult.  
*C. de commer. & merc.* Ratio prohibitionis colligitur ex  
 d. l. pen. & d. nov. 80. Usum purpuræ vestiumque holo-  
 feriarum Princeps sibi suæque domui receperat, quod  
 videretur eminentiæ ejus adversari, eodem cultu priva-  
 tos, quo Principem conspicisti. Quæ ratio si vera est, se-  
 quitur, eos qui contrà fecerint, non extra ordinem, sed  
 publicæ Majestatis crimine teneri; uti sanè innuit d. l.  
 pen. cùm ait, transgressores ad similitudinem læsæ Ma-  
 jestatis periculum subituros. Nunc, hominum fidem quo  
 deventum est res, quæ solis Imperatoribus usum sui præ-  
 bebant, luxu perditis moribus, factæ sunt vulgares. Mo-  
 rio, parasitus, aleator, nauta, caupo, quis non in purpura  
 cubat? Abolitæ sunt jam dudum leges sumptuariæ, Op-  
 pia, Fannia, Licinia, Æmilia, Julia.

## T I T. X L I.

*Quæ res exportari non debeant.*

**L**i. h. t. vinum, oleum, garum, aliaque liquoris  
 genera, ad barbaros, ad hostes Populi Romani  
 exportari vetat: ac ne gustationis quidem causâ  
 hi liquores ad eos transferri possunt: ne illecti earum  
 specierum dulcedine barbari, invadendi orbis Romani  
 consilia sumant: nam, ut Livius ait lib. 5. gentem Gallo-  
 rum tradit fama, dulcedine frugum, maximeque vini nova-  
 cum voluptate, captam, Alpes transiisse, & invexisse in  
 Galliam vinum illiciendæ gentis causa. Longobardos  
 quoque à Narsete in Italiam pellectos legimus, pretiosis  
 nonnullis frugibus, quas ea terra fert, muneri missis.

Sigon:

*Sigon. de regn. Ital. lib. i.* Et uvarum botrus ex hostili solo in Israëlitarum castra illatus, vel ignavis animos facere poterat, ut terram, quæ tam dulces funderet potionis, ferrō armisque quærerent. Numer. XIII. Cum autem ad barbaros tantum species annonarias exportari vetet constitutio, an ergo ad alios exportare licet? Licere hinc colligitur. Sed aliud servatur Gallorum moribus. Frumenta enim, aut alias quasvis annonas ad exterros transferre non licet, nisi permittente Principe. Mornac. b.

## L. II.

Hac lege prohibetur, ne quis Romanus hostibus populi Romani arma, tela, cujuscunque generis, item ferrum factum vel infectum, aut cotes subigendo acuendoque ferro necessarias, legationis fortè aut induciarum tempore vendat, pœnâ capitâ & confiscationis bonorum illi infligendâ, qui contrâ fecerit, *h. l. l. cotem. 11. D. de public.* Imò perduelles sunt, qui commeatu, armis, telis, equis, pecuniâ, navibus, aliisve rebus, quarum æque in bello atque pace est usus, hostes adjuvrint, *l. i. D. ad L. Jul. Majest.* Quæ merces illicitæ dicuntur, *Marchandise de contrebande.* An etiam exteri prohiberi possunt, ne commeatum, arma, tela, merces, hostibus nostris subvehant? Possunt: gentium enim consensu receptum est, ut si quis armis vel commeatu juvare hostem velit, is ipius in hostium numero habeatur. *Liv. lib. 38. c. 48.* Igitur arma, annonam, naves, quæ litora hostium petunt, intercipere licet, ne rebus necessariis illatis, vires eorum augeantur. Præbuit sanè hæc disputatio gravissimis contentionibus causam in Belgio. Exortô enim cum Hispanis bellô, cùm Hollandi Zelandique

que omnes naves, quotquot in Hispaniam direxerant vela, deprædarentur, Angli se opposuere, oggerentes, sibi, qui neutrarum essent partium, non posse ad im liberum cum hoste commercium. Federati contrà regesserunt, jure gentium se uti: neque neutrarum esse partium, qui hostem commeatu a rebus necessariis juvent. *Rheidan. histor. lib. 1.* Durum equidem hoc videtur: sed hanc duritatem levant denuntiationes atque interminationes, quæ præcedere solent manus injectio nem: quibus si exteri non paruerint, sibi imputent, qui cum exitio aliorum negotiari non erubuerint.

T I T. XLII.

*De Eunuchis.*

**E**unuchi hîc accipiuntur pro *castratis*: cavetur enim *hoc tit.* ne quis mares castret in orbe Romano; pœnâ capitis constitutâ in eos qui castraverint, & publicatione servi castrati, itemque loci; quô servus sciente & dissimulante domino castratus est, *l. i. b. t.* L. 2. aufert domino eunuchi facti dominium, & tabellionem, qui instrumentum ejusmodi venditionis conscriperit, pœnæ gravissimæ subjicit: quin & publicatum, qui vectigal ex causa eunuchi facti exegerit. Barbarorum tandem eunuchorum tribuit commercium. Adde quæ posui *ad l. 128. D. dc V. S.* Fœda est illorum hallucinatio, qui quod figuratâ locutione de *se ipso castrando* dicitur *Matth. XIX. v. 12.* secundum literam acceperunt *Origenes & Valesii*, de quibus *Augustinus de Haeresib. c. 37.*

D d d d d

T I T.

296

762

LIB. IV. TIT. XLIII.

T I T. X L III.

*De patribus qui filios suos distraxerunt.*

**P**ater liberos vendere, donare, pignori obligare, vel quovis alio modo in aliud transferre non potest: nec sub praetextu ignorantiae accipientis, l. 1. b. t. Quamvis hujus ignorantiae obtentu pater evictonis nomine obligetur emptori, l. minor. 39. §. pater. 3. D. de evictione. Potest tamen pater propter nimiam paupertatem egestatemque, liberos suos quos in potestate habet, non modo recens natos, sed & grandiores natu, jure patriae potestatis, vieti causa vendere, l. 2. b. t. ubi cum Haloandro legendum, non *sanguinolentos*, sed *sanguinolentus*: ut hoc referatur ad patrem, qui τὰ σωλαγχία, & viscera sua, ut loquitur Basilius in sermone τετραθεοεξίας, vendere videtur, humanitatis oblitus. Grandiorum etiam liberorum venditorum exempla, & lamentabile unum de patre, qui nescit deliberare, quem ex pluribus vendat, apud Ambrosium se legisse testatur Albericus Gentilis lib. 4. de Nupt. c. 1. Ferendi igitur non sunt, qui legunt, *sanguinolentos*: hac addita explicatione, quod patri liberos sub ipsum urgentis famis tempus recens natos liberos, & adhuc à matre rubentes, vendere tantum liceat. uti hoc interpretantur Alciatus lib. 2. de Verb. signif. Tiraquellus de retract. consanguin. §. 26. glof. 1. n. 16. Balduinus in explic. LL. XII. tabb. Covarruvias 3. resol. 14. n. 4. Cujac. in Parat. b. Multa etiam pro adstruenda hac lectione comportavit Gothofredus ad h. l. quæ nihil probant. Ne-  
mo

*De Patribus qui filios suos distraxerunt.* 763

mo enim negat, liberos recens editos (*ἀρτιγενῆς*, sive, *ἀρτιωλάς*) *sanguinolentos* dici posse, adhuc sanguine menstruo madentes, & ut utar verbis Juvenal. *sat. 7.*

*Modò primos incipientes*

*Edere vagitus, & adhuc à matre rubentes.*

Sed tales idcirco hoc loci intelligi, nimis frigidè inferuntur. Accurs. Sich. Don. b. Gentil. d. loc. Pinell. *de bon. Matern. rubr. part. 2. n. 28.* Bachov. *de pign. lib. 2. c. 12. n. 4.* Matri non idem concessum quod patri, arg. d. l. 2. junct. l. quod verd. 14. D. *de legib.* Accurs. Sichard. b. Don. b. n. 16. Pinell. d. part. 2. n. 20. & seqq. Vendifendi verò potestas quæ hoc casu tribuitur patri, videatur etiam porrígenda esse ad permutationem: in tremenda enim illa necessitate famis non oportet subtiliter sectari differentias venditionis & permutationis. Unde sunt qui censem, ex alia quoque quām famis causa patri hoc jus competere, puta si captus, redimendus sit ab hostibus, nam etsi lex illa non sit facilè extendenda, non tamen continere casum adeo odiosum, vel contrarium rationi naturali. Sichard. b. Pinell. Gentil. d. loc. Cæterum venditus ex causa prementis famis filius, liberari isto servitio potest, oblato pretiō, vel mancipiō, d. l. 2. pretiō, non quo venierat antè, sed quanti jam aestimabitur, b. l. *inf.* valere jussa adjectione quintæ de quæ Imp. Valentinianus in l. un. C. Theodos. b. t. qui solvi jussit pretium tempore venditionis definitum, sed ita, ut quanto cuilibet aureo adderetur unus aureus. Moribus hodiernis exolevit d. l. 2. b. t. Autum. b. Rebuff. *ad constit. reg. proœm. gloss. s. n. 62.* Bugn. *de legib. abrog. l. 1. sat. 6.*

298

764

L I B . IV . T I T . X L I V .

T I T . X L I V .

*De Rescindenda Venditione.*

L . I .

**V**I metuque extorta venditio, valet ipso jure, sed restituzione in integrum rescinditur , l.i.l.21. §. antepen. D. Quod uet. c.l. 3. l. ult. C. eod. ubi vis est atque metus, ibi etiam est voluntas , d.l. 21, §. pen. l.itemsi. 14. §. 12. d. t. D. Quod met. c. l. interpositas. 13. C. de transact. Aristot. 3. Ethic. 1. cui actiones metu extortæ, dicuntur mixtæ , magis tamen ad voluntarias, quam involuntarias actiones inclinantes nempe, voluntate ex duobus malis minimum eligente. Adversari videtur h. n. l. 1. ubi metu facta venditio, non dicitur irrita fieri, sed , *irrita esse*: quo significatur, venditionem esse ipso jure nullam. Resp. Emptio dicitur esse irrita, inspecto exitu & effectu , quia actione Quod metus causa infirmatur: quomodo in l. pen. D. d. t. Quod met. c. quod metu factum est, dicitur nullius esse momenti. Opp. Emptio, cui dolus dedit causam, est ipso jure nulla, l. 7. princ. D. de dol. malo. l. 3. §. ult. D. profac. Ergo & emptio, cui metus dedit causam, quia metui inest dolus , d.l. 14. §. eum qui. 13. Respondi Disp. L. ad Instit. Imper. posit. 7. Diff. Don. h. n. 6. & seqq. Cujac. in d.l. 21. & l. 36. D. de V. O. Bus. in d.l. 21. Gœddæ. tr. de contrah. stip. c. 3. n. 156.

L . II .

Rescinditur venditio multis de causis: sed præcipue ex

ex b.l.2. quā succurritur venditori, qui rem, seu mobilem, seu immobilem, minoris distraxit, imprudens (qui enim sciens rem majoris pretii, minimo vendidit, ei non succurrit hæc constitutio, *arg. l. 1. §. 5. D. de injur. l. quod quis culpa. 203. D. de R. I.*) i. e. cui nec dimidia pars veri pretii est soluta: vel, qui rem duplo minoris vendidit, quām valet: rem, verbi gratia, valentem decem, vendidit quatuor: aut valentem centum, vendidit quadraginta. Pari ratione, emptor deceptus intelligitur, & juvatur beneficio *b.l.* cùm res empta non æquat dimidiā partem soluti pretii, vel, cùm rem duplo pluris emit, quām valet: puta, rem dignam decem, emit viginti & uno: aut, rem dignam quatuor, emit novem vel decem. Tanto magis autem emptori succurrendum quām venditori, quanto facilius emptor quām venditor capi potest; nec personæ hoc beneficium cohæret, sed rei, quippe cui enormis læsio præbet locum. Et ratio hujus *l.* posita est in *humanitate*, suadente, ut si pretium conventum non respondeat rei venditæ, contractus rescindatur. Quæ ratio cùm non minus in emptore militet, quām venditore, beneficium quoque concessum videsbitur, *l. in omnibus. 68. D. de R. I. illud. 32. D. de L. Aquil.* Dices, Jus novum strictè esse accipendum, *l. præcipimus. 32. in fin. C. de appellat.* Jus autem *b.l.2.* esse novum, quod coarctetur veterum definitio; Naturaliter contrahentibus licere se in pretio circum scribere, *l. in causa. 16. §. 4. D. de minor.* Proinde hanc *l.2.* non esse producendam ad emptorem. Resp. Non ita strictè interpretandum jus novum, ut inde oriatur aliqua absurditas. confer *l. si unquam. 8. C. de revoc. donat. junct. l. 1. D. de donat.* Instant Cujacius 16. obs. 18. & 23.

obs. 32. & Ant. Faber decad. 8. errore 7. venditori ha-  
ctenus emptorem esse dissimilem, eo quod plerumque  
necessitas rei familiaris compellat vendere, emptor verò  
ultrò accedat ad emptionem prædii, sæpe fraudandi  
causa, & plerumq; emat pretio impenso & immodico, afse-  
ctione opportunitatis vel vicinitatis, vel cœli, vel quod  
illic educatus sit, vel parentes ejus, vel quod majorum  
ejus fuerit, &c. Resp. Inepta hæc est differentiæ ratio  
inter venditorem & emptorem. Quid enim, an semper  
quis rem vendit ex necessitate? annon multi id faciunt  
hoc consilio, ut pecuniam in alias res utiliores, aut et-  
iam in mercaturam collocent, aut fœnori dent? Et  
quām verò stolidum, hanc l. 2. generaliter conceptam,  
restringere ad casum venditionis ex necessitate facta?  
Rursus ex altera parte falsissimum est, emptorem lucri  
studio & avaritiæ causa ferè accedere. Quid enim, si  
pecuniam paratam nolit fœnori occupare, malit po-  
tius in emptionem prædiorum impendere, ex quibus  
honestior quæstus, sed & securior? Ut mirari subeat  
judicium amplissimi Senatorum ordinis Parlamenti  
Parisienis, quirationibus Cujacii victus, emptori, quan-  
tumvis ultra dimidium læso, beneficium h. l. 2. negavit,  
ut refert & probat Notator ad Arresta Paponii, lib. 16.  
tit. 3. arr. 15. Quid, quod ipse Cujacius, parum sibi  
constans, alibi h. l. 2. ad emptorem traxit in com. add.  
l. in cause. 16. Habet autem hoc remedium locum non  
solum in emptione, sed & in locatione, l. 2. D. locat. in  
permutatione, l. 2. D. de rer. perm. l. 1. D. de contr. empt.  
in datione insolutum, l. si prædium. 4. C. de evict. in divisio-  
ne bonorum, arg. l. 1. & 3. C. commun. utriusque judic.  
&c. An etiam in auctionibus, sive in venditionibus,  
quæ

quæ publicè sub hasta fiunt, locum habet? Affirmant  
Jac. Curtius 2. conj. 10. Rebuff. de præc. & licit. artic. 7.  
n. ult. Pinellus h. part. 2. n. 21. & seqq. Valsquius. 6.  
controv. 62. n. 1. 2. 3. Parladorius 2. rer. quotid. c. fin.  
part. 5. §. 16. n. 10. & 11. Giphan. ad h. l. p. 309. Ne-  
gant Baldus in l. 1. C. de præscr. 30. an. n. 3. Accurs.  
in l. 1. verb. magni pretii. D. de jur. fisc. & in l. 3. C. eod.  
Guid. Papius decis. 22. in fin. Faber. de cäd. 10. err. 9.  
Neostad. decis. supr. cur. 75. Grot. 3. manud. ult. Nos  
neque affirmantibus, neque simpliciter negantibus ad-  
stipulamur, sed distinctione rem expediendam arbitra-  
muri. Auctio fiscalis separanda est ab aliis auctionibus.  
Adversus auctionem fiscalem remedium h. l. 2. cessat:  
nam cum adversus eam ne minor quidem restituatur,  
l. 5. C. de fid. & jur. hast. fisc. sequitur, nec majori suc-  
curri adversus fiscum ex d. l. 2. cumque privato ex ea  
lege non succurratur adversus fiscum, consequens est,  
nec fisco, si læsus sit, succurri adversus Privatum. Ac-  
cedit, quod nec ædilitium edictum in fiscalibus vendi-  
tionibus locum habet, l. 1. §. illud sciendum 3. D. de ædil.  
ed. Nec adversantur l. 16. C. h. t. l. 2. C. si propt. pensit.  
publ. l. 2. C. d. t. defid. & jur. hast. fisc. Loquuntur enim  
de ea addictione, quæ dolo, per gratiam & ambitionem,  
in fraudem utriusque & debitoris & fisci, facta erat: hæc  
non immerito rescinditur. At h. n. l. 2. non tam iis sub-  
venit, qui dolo circumscripti sunt, quibus & olim insti-  
tuta actione bonæ fidei succurrebatur: sed illis qui ca-  
su, reipsa decepti, omni olim adjutorio destituebantur.  
Alias auctiones quod attinet, refert, utrumquis res volens  
sub hasta vendat, an decretō judicis bona condemnati, vel  
latitantis, vel ejus qui absque herede decepsit, subhasten-  
tur.

tur. Si quis volens auctionetur, nihil est impedimento, quominus enormiter læso ex h. l. 2. succurratur: modò ne volens & studio vincendi insanierit emptor: huic non fit injuria, l. 1. §. 5. D. de injur. At cùm decretó judicis bona condemnati, vel obxerati venduntur, beneficium h. l. cessare videtur: quoniam soli minori succurritur adversus judiciale subhaftationem, si enorme damnum passus sit, l. si ex causa. 9. D. de minor. l. 1. C. si adv. vend. pign. Majori ergo ob enorme damnum non succurritur. Publicè interest, decreta judicum non facile rescindi, sed perpetuum obtainere robur. Vid. Ant. Matthæ. de auction. lib. 1. c. 16. Secus tamen judicatum in Frisiorum Basiliça, Sand. 3. Decis. 4. def. 12. An in contractibus stricti juris locum habet hæc constitutio? Non habet: nulla enim illis cum emptione venditione intercedit communio. Nominatim cessat h. l. 2. in hujusmodi contractu, Do tibi fundum, ut præstes mihi annua X. Etiam si annua XXV. ex fundo redigantur, non tamen ad rescindendam conventionem agi potest. Itaque judicavit suprema hujus provinciæ Curia, teste Sandio 3. decis. tit. 4. defin. 17. Tritissima est quæstio, An in Transactione locus sit huic constitutioni? Sanè, si leges juris Romani spectes, rectè defenditur, locum non esse, l. Lucius. 78. §. ult. D. ad SC. Trebell. l. in summa. 65. §. 1. D. de condic. indeb. Sed diversa sententia crebriori calculo est comprobata, ac quoniam æquitate & humanitate blanditur, beneficio h. l. 2. Tribunalia passim in Transactione quoque fecerunt locum. vid. Dec. cons. 203. n. 4. Rebuff. de resc. contract. artic. un. gloss. 15. n. 18. & seq. Cagnol. ad h. l. 2. n. 80. Thom. Grammat. dec. 66. n. 48. Christinæ. pract. quæst. vol. 1. decis.

## Corollaria Defendantis ex Jure Civili Foro familiaria.

1. **H**osti fides aut non danda, aut data servanda arg.  
*l. ult. ff. de legationib.*
2. **C**ompressam ab alio, quam alter pro virgine duxerat  
repudiare licet *Deut. 22. vers. 21. León. novel. 93.*
3. **L**egitimum Tutorem Electoris juxta Auream Bullam,  
preferendum esse testamentario pernego per *l. 11. ff. de testam.*  
*tutela. & l. Si tutor. §. 1. ff. de tutela, & rationib. distra.*
4. **M**anifesto ore non erubesco affirmare, in rebus tam  
mobilibus, quam soli, usucaptionem efficacem esse, cuius prin-  
cipium bona fidei fuit, quamvis postea malafides supervenit.  
*text. in §. 12. Inst. de usucapi.*
5. **I**n quæstione: An in coniunctione verbali locum  
habeat jus accrescendi? Affirmantium castra sequor per *l. 89.*  
**D.** de legat. 3. *l. 66. ff. de hered. instit.*
6. **P**erplexa, & dubia est quæstio, quæ Oedipo quodam opus  
habet: An duorum pluriumve fratrum liberi patruo in capi-  
ta succedant. Ego affirmare non vereor per *§. 4. Inst. de*  
*legit. Agnat, success. & l. 2. §. 2. ff. de suis. & legitimis. hered.*
7. **Q**ui in *§. 6. Inst. de Actionib. affirmant*, ab Impera-  
tore proponi actionem Paulianam (quæ in personam est) eo-  
rum sententia calculum adjicio per *l. 38. §. 4. D. de usuris.*
8. **S**ubstitutio pupillaris verbis directis puberi facta, non  
est valida jure fideicommisi. *l. 7. ff. de vulg. & pupil. substit. §.*  
*8. Inst. eod.*
9. **S**tephanus de Werböcz Vngarici Iuris Compilator, in  
partis primæ tit. 14. administrationem armorum, & Victua-  
lium Turcis, & aliis infidelibus Regni amulis, & hostibus fa-  
ctam, rectissimè ponit inter casus notam infidelitatis adferen-  
tes, ab ipso citato loco enumeratos: *textus etiam in C. 6. 11. &*  
*12. C. de Iudeis.*

304

## In honorem Egregii D. Defendantis.

Cœlicolas nostrumque genus natura profundo,  
Nec nisi Factori noto, distinxit hiatu;  
Sed quos tot spatiis propriæ stationis origo,  
Disparitas, odiumque sui discerpit, ab ipso  
Hausta Polo melior nostri pars jungit, & illo,  
Quo cœlum regitur, Superis nos fœdere necdit.  
Nempe ibi justitiæ, rectique Ministra perennis.  
Civibus æthereis, terris Astræa relicta,  
Præsidet, & dulci cunctos compingit amore.  
Eja igitur grandi, quâ te natura beavit  
Mente, animoque tuæ Themidis cole Sacra, futurus  
Caspare justitiæ, quæ cœlum sola gubernat,  
Præco gravis, cœlique olim Concivis & ipse  
Immortale feres, dignumque labore brabeum.

*Amici mei, & à primis adolescentiæ meæ annis studiorum, & peregrinationis meæ consorts, candido affectu extempore apposui.*

JOHANNES NADANY de KOROS NADANY.

### HONORI

*Ejusdem Nobilissimi ac Consultissimi Domini,*

C A S P O A R I S E N Y E D I,  
Amici sui, donec vixerit, honorandi, lubens fundebat.

Volvere sacrati sinuosa volumina Juris  
Qui potes, & leges conciliare sacras:  
Te Themis, & melior virtus exaquat Olympo:  
Et facit Illustri juris honore frui.  
Tu quoque Legiferi spatiofa volumina Juris  
Qui calles, animo Vir Generose tuo.  
Optimus Interpres Iuris, moderator & aqui  
Audis, nam magni Principis acta tenes.  
Perge, & sacrae Themidos penetralia pandens:  
Pectore prudenti Jura diserta refer.  
Sic meritus tibi surget honos: tacitosquè per annos  
Sic Patriæ dulci Phosphorus alter eris.

JOHANNES DEBRECENIUS.

